

35 Si pendeat desuper, manebant in eodem loco.

36 Nubes quippe Domini incubabat per diem tabernaculo, & ignis in nocte, videntibus cunctis populis Israel per cunctas mansiones suas.

LIBER LEVITICUS, HEBRAICE VAICRA.

CAPUT I.

Varius ritus ac modus armentorum, pecudum, & avium offerendarum in holocaustum.

1 **V**ocavit autem Moysen, & locutus est ei Dominus de tabernaculo testimonii, dicens:

2 Loquere filiis Israel, & dices ad eos: Homo, qui obtulerit ex vobis hostiam Domino de pecoribus, id est, de bobus & ovibus offerens victimas,

* *Eccod.*
26. 10.

3 * Si holocaustum fuerit ejus oblatio, ac de armento; masculum immaculatum offeret ad ostium tabernaculi testimonii, ad placandum sibi Dominum:

4 Ponetque manum super caput hostiæ, & acceptabilis erit, atque in expiationem ejus proficiens.

5 Immolabitque vitulum coram Domino; & offerent filii Aaron sacerdotes sanguinem ejus, fundentes per altaris circuitum, quod est ante ostium tabernaculi.

6 Detrahaque pelle hostiæ, artus in frustra coincident.

7 Et subjicient in altari ignem, strue lignorum ante composita:

8 Et membra quæ sunt cæsa, desuper ordinantes,

tes, caput videlicet, & cuncta quæ adhærent jecori.

9 Intestinis & pedibus lotis aqua: adolebitque ea sacerdos super altare in holocaustum & suavem odorem Domino.

10 Quod si de pecoribus oblatio est, de ovibus sive de capris holocaustum, masculum absque macula offeret:

11 Immolabitque ad latus altaris, quod respicit ad Aquilonem, coram Domino: sanguinem vero illius fundent super altare filii Aaron per circuitum:

12 Dividentque membra, caput, & omnia quæ adhærent jecori: & ponent super ligna, quibus subjiciendus est ignis:

13 Intestina vero & pedes lavabunt aqua. Et oblata omnia adolebit sacerdos super altare, in holocaustum & odorem suavissimum Domino.

14 Si autem de avibus, holocausti oblatio fuerit Domino, de turturibus, aut pullis columbæ,

15 Offeret eam sacerdos ad altare, & retort ad collum capite, ac rupto vulneris loco, decurrere faciet sanguinem super crepidinem altaris:

16 Vesiculam vero gutturis, & plumas projiciet prope altare ad orientalem plagam, in loco in quo cineres effundi solent.

17 Confringetque ascellas ejus, & non secabit, neque ferro dividet eam, & adolebit super altare, lignis igne supposito. Holocaustum est & oblatio suavissimi odoris Domino.

CAPUT II.

Ritus oblationis sacrificiorum, simila oleo consperse, thuris, panum, laganorum, atque primitiarum, addito in omnibus sale, nusquam autem fermento, nec melle.

1 **A**nima cum obtulerit oblationem sacrificii Domino, simila erit ejus oblatio: fundetque super eam oleum, & ponet thus,

2 Ac deferet ad filios Aaron sacerdotes: quorum unus tollet pugillum plenum similæ & olei, ac totum thus, & ponet memoriale super altare in odorem suavissimum Domino.

N 4

3 * Quod

Eccli.
7. 34.

3 * Quod autem reliquum fuerit de sacrificio, erit Aaron & filiorum ejus, Sanctum sanctorum de oblationibus Domini.

4 Cum autem obtuleris sacrificium coctum in clibano: de simila, panes scilicet absque fermento, conspersos oleo, & lagana azyma oleo lita.

5 Si oblatio tua fuerit de sartagine, similæ conspersæ oleo & absque fermento,

6 Divides eam minutatim, & fundes super eam oleum.

7 Sin autem de craticula fuerit sacrificium, æque simila oleo conspergetur:

8 Quam offerens Domino, trades manibus sacerdotis.

9 Qui cum obtulerit eam, tollet memoriale de sacrificio, & adolebit super altare in odorem suavitatis Domino:

10 Quidquid autem reliquum est, erit Aaron, & filiorum ejus, Sanctum sanctorum de oblationibus Domini.

11 Omnis oblatio, quæ offertur Domino, absque fermento fiet, nec quidquam fermenti ac mellis adolebitur in sacrificio Domino.

12 Primitias tantum eorum offeretis ac munera: super altare vero non imponentur in odorem suavitatis.

* Marc.
9. 46.

13 Quidquid obtuleris sacrificii, * sale condies; nec auferes sal fœderis Dei tui de sacrificio tuo. In omni oblatione tua offeres sal.

14 Si autem obtuleris munus primarum frugum tuarum Domino de spicis adhuc virentibus, torrebis igni, & confringes in morem farris, & sic offeres primitias tuas Domino.

15 Fundens supra oleum, & thus imponens, quia oblatio Domini est.

16 De qua adolebit sacerdos in memoriam muneris partem farris fracti, & olei, ac totum thus.

CAPUT III.

Quo pacto offerantur hostiæ pacificorum, nempe de bobus, ovibus, agnis, & capris, adipem omnem & sanguinem sibi deposcit Deus eorumque vetatur ejus.

1 Quod

1 Quod si hostia pacificorum fuerit ejus oblatio, & de bobus voluerit offerre, marem sive fœminam, immaculata offeret coram Domino.

2 Ponetque manum super caput victimæ suæ, quæ immolabitur in introitu tabernaculi testimonii, fundentque filii Aaron, sacerdotes, sanguinem per altaris circuitum.

3 Et offerent de hostia pacificorum in oblationem Domino, * adipem qui operit vitalia, & quidquid pinguedinis est intrinsecus: * Exod. 29. 13.

4 Duos renes cum adipe quo teguntur ilia, & reticulum jecoris cum renunculis:

5 Adolebuntque ea super altare in holocaustum, lignis igne supposito: in oblationem suavissimi odoris Domino.

6 Si vero de ovibus fuerit ejus oblatio & pacificorum hostia, sive masculum obtulerit, sive fœminam, immaculata erunt.

7 Si agnum obtulerit coram Domino,

8 Ponet manum suam super caput victimæ suæ: quæ immolabitur in vestibulo tabernaculi testimonii: fundentque filii Aaron sanguinem ejus per circuitum altaris.

9 Et offerent de pacificorum hostia sacrificium Domino: adipem & caudam totam.

10 Cum renibus, & pinguedinem quæ operit ventrem atque universa vitalia, & utrumque renunculum cum adipe, qui est juxta ilia, reticulumque jecoris cum renunculis.

11 Et adolebit ea sacerdos super altare in pabulum ignis & oblationis Domini.

12 Si capra fuerit ejus oblatio, & obtulerit eam Domino,

13 Ponet manum suam super caput ejus: immolabitque eam in introitu tabernaculi testimonii: & fundent filii Aaron sanguinem ejus per altaris circuitum,

14 Tollentque ex ea in partem ignis Domini, adipem qui operit ventrem, & qui tegit universa vitalia:

15 Duos renunculos cum reticulo, quod est super eos juxta ilia, & arvinam jecoris cum renunculis:

N 5

16 Ado-

16 Adolebitque ea super altare sacerdos in alimoniam ignis, & suavissimi odoris. Omnis adeps, Domini erit.

17 Jure perpetuo in generationibus, & cunctis habitaculis vestris: nec sanguinem, nec adipem omnino comedetis.

CAPUT IV.

Modus offerendi hostias pro peccato sacerdotis, principis, & multitudinis per ignorantiam commisso.

I Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2 Loquere filiis Israel: Anima, quæ peccaverit per ignorantiam, & de universis mandatis Domini, quæ præcepit ut non fierent, quippiam fecerit:

3 Si sacerdos, qui unctus est, peccaverit, delinquere faciens populum, offeret pro peccato suo vitulum immaculatum Domino:

4 Et adducet illum ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino: ponetque manum super caput ejus, & immolabit eum Domino.

5 Hauriet quicque de sanguine vituli, inferens illum in tabernaculum testimonii.

6 Cumque intinxerit digitum in sanguine, asperget eo septies coram Domino contra velum Sanctuarii.

7 Ponetque de eodem sanguine super cornua altaris thimiamatis gratissimi Domino, quod est in tabernaculo testimonii. Omnem autem reliquum sanguinem fundet in basim altaris holocausti in introitu tabernaculi.

8 Et adipem vituli auferet pro peccato, tam eum qui vitalia operit quam omnia quæ intrinsecus sunt:

9 Duos renunculos & reticulum quod est super eos juxta ilia, & adipem jecoris cum renunculis,

10 Sicut auferetur de vitulo hostiæ pacificorum: & adolebit ea super altare holocausti.

11 Pellem vero & omnes carnes cum capite & pedibus & intestinis & fimo,

12 Et reliquo corpore efferet extra castra in locum

locum mundum, ubi cineres effundi solent: incendetque ea super lignorum struem, quæ in loco effusorum cinerum cremabuntur.

13 Quod si omnis turba Israel ignoraverit, & per imperitiam fecerit quod contra mandatum Domini est,

14 Et postea intellexerit peccatum suum, offeret pro peccato suo vitulum, adducetque eum ad ostium tabernaculi.

15 Et ponent seniores populi manus super caput ejus coram Domino. Immolatoque vitulo in conspectu Domini,

16 Inferet sacerdos, qui unctus est, de sanguine ejus in tabernaculum testimonii,

17 Tincto digito aspergens septies contra velum.

18 Ponetque de eodem sanguine in cornibus altaris, quod est coram Domino in tabernaculo testimonii: reliquum autem sanguinem fundet juxta basim altaris holocaustorum, quod est in ostio tabernaculi testimonii.

19 Omnemque ejus adipem tollet, & adolebit super altare:

20 Sic faciens & de hoc vitulo quomodo fecit & prius: & rogante pro eis sacerdote, propitiuss erit eis Dominus.

21 Ipsum autem vitulum efferet extra castra, atque comburet sicut & priorem vitulum: quia est pro peccato multitudinis.

22 Si peccaverit princeps, & fecerit unum e pluribus per ignorantiam, quod Domini lege prohibetur:

23 Et postea intellexerit peccatum suum, offeret hostiam Domino, hircum de capris immaculatum.

24 Ponetque manum suam super caput ejus: cumque immolaverit eum in loco ubi solet mactari holocaustum coram Domino, quia pro peccato est.

25 Tinget sacerdos digitum in sanguine hostiæ pro peccato, tangens cornua altaris holocausti, & reliquum sanguinem fundens ad basim ejus.

26 Adipem vero adolebit supra, sicut in victimis pacificorum fieri solet: rogabitque pro eo

faceros, & pro peccato ejus, & dimittetur ei.

27 Quod si peccaverit anima per ignorantiam, de populo terræ, ut faciat quidquam de his, quæ Domini lege prohibentur, atque delinquat,

28 Et cognoverit peccatum suum offeret capram immaculatam.

29 Ponetque manum super caput hostiæ quæ pro peccato est, & immolabit eam in loco holocausti.

30 Tolleque sacerdos de sanguine in digito suo: & tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet ad basim ejus.

31 Omnem autem adipem auferens, sicut auferri solet de victimis pacificorum adolebit super altare in odorem suavitatis Domino: rogabitque pro eo, & dimittetur ei.

32 Sin autem de pecoribus obtulerit victimam pro peccato, ovem scilicet immaculatam,

33 Ponet manum super caput ejus, & immolabit eam in loco ubi solent cædi holocaustorum hostiæ.

34 Sumetque sacerdos de sanguine ejus digito suo, & tangens cornua altaris holocausti, reliquum fundet ad basim ejus.

35 Omnem quoque adipem auferens, sicut auferri solet adeps arietis, qui immolatur pro pacificis, cremabit super altare in incensum Domini: rogabitque pro eo, & pro peccato ejus, & dimittetur ei.

CAPUT V.

De hostiis, pro peccatis ex silentio veritatis, immunditia, errore, juramento, sacrorum abusu atque ignorantia.

1 SI peccaverit anima, & audierit vocem jurantis, testisque fuerit quod aut ipse vidit, aut conficius est: nisi indicaverit, portabit iniquitatem suam.

2 Anima, quæ tetigerit aliquid immundum, sive quod occisum a bestia est, aut per se mortuum, aut quodlibet aliud reptile: & oblita fuerit immunditiæ suæ, rea est, & deliquit:

3 Et si tetigerit quidquam de immunditiâ hominis

minis juxta omnem impuritatem, qua pollui solet, oblitaque cognoverit postea, subiacebit delicto.

4 Anima quæ juraverit, & protulerit labiis suis, ut vel male quid faceret, vel bene, id ipsum juramento & sermone firmaverit, oblitaque postea intellexerit delictum suum,

5 Agat pœnitentiam pro peccato,

6 Et offerat de gregibus agnam sive capram, orabitque pro ea sacerdos, & pro peccato ejus:

7 Sin autem non potuerit offerre pecus, offerat * duos turtures, vel duos pullos columbarum Domino, unum pro peccato, & alterum in holocaustum,

8 Dabitque eos sacerdoti: qui primum offerens pro peccato, retorquet caput ejus ad penulas, ita ut collo hæreat, & non penitus abrumpatur.

9 Et asperget de sanguine ejus parietem altaris: quidquid autem reliquum fuerit, faciet distillare ad fundamentum ejus, quia pro peccato est.

10 Alterum vero adolebit in holocaustum, ut fieri solet: rogabitque pro eo sacerdos & pro peccato ejus, & dimittetur ei.

11 Quod si non quiverit manus ejus duos offerre turtures, aut duos pullos columbarum, offerret pro peccato suo simillam partem ephi decimam. Non mittet in eam oleum, nec thuris aliquid imponet, quia pro peccato est.

12 Tradetque eam sacerdoti: qui plenum ex ea pugillum hauriens, cremabit super altare in monumentum ejus qui obtulerit,

13 Rogans pro illo & xpianis, reliquam vero partem ipse habebit in munere.

14 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

15 Anima si prævaricans ceremonias, per errorem in his, quæ Domino sunt sanctificata, peccaverit, offeret pro delicto suo arietem immaculatum de gregibus, qui emi potest duobus siclis, juxta pondus Sanctuarii,

16 Ipsumque quod intulit damni restituet, & quintam partem ponet supra, tradens sacerdoti, qui rogabit pro eo offerens arietem, & dimittetur ei.

17 Abi-

* Infr.
12. 8.
Luc. 2.
24.

17 Anima si peccaverit per ignorantiam, feceritque unum ex his quæ Domini lege prohibentur, & peccati rea intellexerit iniquitatem suam,

18 Offeret arietem immaculatum de gregibus sacerdoti, juxta mensuram, æstimationemque peccati: qui orabit pro eo, quia nesciens fecerit: & dimittetur ei,

19 Quia per errorem deliquit in Dominum.

CAPUT VI.

Oblatio pro peccato ex certa scientia commisso: leges holocausti, ignis perpetui, singulorum sacrificiorum & oblationum sacerdotis in die unctionis suæ; & in genere de hostia pro peccato: quive & quando his vesci possint.

1 Locutus est Dominus ad Moysen, dicens:

2 Anima quæ peccaverit, & contempto Domino, negaverit proximo suo depositum quod fidei ejus creditum fuerat, vel vi aliquid extorserit, aut calumniam fecerit,

3 Sive rem perditam invenerit, & inficians insuper pejeraverit, & quodlibet aliud ex pluribus fecerit, in quibus solent peccare homines,

4 Convicta delicti, reddet

5 Omnia quæ per fraudem voluit obtinere, integra, & * quintam insuper partem domino, cui damnum intulerat.

6 Pro peccato autem suo offeret arietem immaculatum de grege, & dabit eum sacerdoti, juxta æstimationem, mensuramque delicti:

7 Qui rogabit pro eo coram Domino, & dimittetur illi pro singulis quæ faciendo peccavit.

8 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

9 Præcipe Aaron & filiis ejus: Hæc est lex holocausti: Cremabitur in altari tota nocte usque mane: ignis ex eodem altari erit.

10 Vestietur tunica sacerdos & fæminalibus lineis: tolletque cineres, quos vorans ignis excussit, & ponens juxta altare,

11 Spoliabitur prioribus vestimentis, indutusque aliis, efferet eos extra castra, & in loco mundissimo usque ad favillam consumi faciet.

12 Ignis

12 Ignis autem in altari semper ardebit, quem nutriet sacerdos subjiciens ligna mane per singulos dies, & imposito holocausto, desuper adolebit adipem pacificorum.

13 Ignis est iste perpetuus, qui nunquam deficiet in altari.

14 Hæc est lex sacrificii & libamentorum, quæ offerent filii Aaron coram Domino, & coram altari.

15 Tolle sacerdos pugillum simillæ, quæ conspersa est oleo, & totum thus, quod super simillam positum est: adolebitque illud in altari, in monumentum odoris suavissimi Domino:

16 Reliquam autem partem simillæ comedet Aaron cum filiis suis, absque fermento: & comedet in loco Sancti Atrii tabernaculi.

17 Ideo autem non fermentabitur, quia pars ejus in Domini offertur incensum. Sanctum sanctorum erit, sicut pro peccato atque delicto.

18 Mares tantum stirpis Aaron comedent illud. Legitimum ac sempiternum erit in generationibus vestris de sacrificiis Domini. Omnis, qui tetigerit illa, sanctificabitur.

19 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

20 Hæc est oblatio Aaron, & filiorum ejus, quam offerre debent Domino in die unctionis suæ. Decimam partem ephi offerent simillæ in sacrificio sempiterno, medium ejus mane, & medium ejus vespere:

21 Quæ in sartagine oleo conspersa frigetur. Offeret autem eam calidam in odorem suavissimum Domino,

22 Sacerdos qui jure patri successerit, & tota cremabitur in altari.

23 Omne enim sacrificium sacerdotum igne consumetur, nec quisquam comedet ex eo.

24 Locutus est autem Dominus ad Moysen, dicens:

25 Loquere Aaron & filiis ejus: Ista est lex hostiæ pro peccato: In loco ubi offertur holocaustum, immolabitur coram Domino. Sanctum sanctorum est.

26 Sacerdos qui offert, comedet eam in loco sancto, in atrio tabernaculi.

27 Quidquid tetigerit carnes ejus, sanctificabitur. Si de sanguine illius vestis fuerit aspersa, lavabitur in loco sancto.

28 Vas autem fictile, in quo cocta est, confringetur: quod si vas æneum fuerit, defricabitur, & lavabitur aqua.

29 Omnis masculus de genere sacerdotali vescetur de carnibus ejus, quia Sanctum sanctorum est.

* *Sup. A. S.*
Hebr. 13. 11. 30 Hostia enim quæ cæditur pro peccato, *
 cujus sanguis infertur in tabernaculum testimonii ad expiandum in Sanctuario, non comedetur, sed comburetur igni.

CAPUT VII.

Ritus oblationis hostiæ pro delicto, & hostiæ ac victimæ pacificorum: adeps & sanguis in universum comedi prohibentur.

1 **H**Æc quoque lex hostiæ pro delicto, Sancta sanctorum est:

2 Idcirco ubi immolabitur holocaustum, mandabitur & victima pro delicto: sanguis ejus per gyrum altaris fundetur.

3 Offerent ex ea caudam & adipem qui operit vitalia:

4 Duos renunculos, & pinguedinem quæ juxta ilia est, reticulumque jecoris cum renunculis.

5 Et adolebit ea sacerdos super altare: incensum est Domini pro delicto.

6 Omnis masculus de sacerdotali genere, in loco sancto vescetur his carnibus, quia Sanctum sanctorum est.

7 Sicut pro peccato offertur hostia, ita & pro delicto: utriusque hostiæ lex una erit: ad sacerdotem, qui eam obtulerit, pertinebit.

8 Sacerdos qui offert holocausti victimam, habebit pellem ejus.

9 Et omne sacrificium similia, quod coquitur in clibano, & quidquid in craticula, vel in sartagine præparatur, ejus erit sacerdotis a quo offertur:

10 Sive oleo conspersa, sive arida fuerint, cunctis filiis Aaron mensura æqua per singulos dividetur.

11

11 Hæc est lex hostiæ pacificorum quæ offertur Domino.

12 Si pro gratiarum actione oblatio fuerit, offerent panes absque fermento conspersos oleo, & lagana azyma uncta oleo, coctamque similam, & collyridas olei admixtione conspersas:

13 Panes quoque fermentatos cum hostia gratiarum, quæ immolatur pro pacificis:

14 Ex quibus unus pro primitiis offeretur Domino, & erit sacerdotis qui fundet hostiæ sanguinem.

15 Cujus carnes eadem comedentur die, nec remanebit ex eis quidquam usque mane.

16 Si voto, vel sponte quispiam obtulerit hostiam, eadem similiter edetur die: sed & si quid in crastinum remanserit, vesci licitum est:

17 Quidquid autem tertius invenerit dies, ignis absumet.

18 Si quis de carnibus victimæ pacificorum die tertio comederit, irrita fiet oblatio, nec proderit offerenti: quin potius quæcumque anima tali se edulio contaminaverit, prævaricationis rea erit.

19 Caro, quæ aliquid tetigerit immundum, non comedetur, sed comburetur igni: qui fuerit mundus, vescetur ex ea.

20 Anima polluta quæ ederet de carnibus hostiæ pacificorum, quæ oblata est Domino, peribit de populis suis.

21 Et quæ tetigerit immunditiam hominis, vel jumenti, sive omnis rei, quæ polluere potest, & comederit de hujusmodi carnibus, interibit de populis suis.

22 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

23 Loquere filiis Israel: Adipem ovis, & bovis, & capræ non comedetis.

24 Adipem cadaveris morticini, & ejus animalis, quod a bestia captum est, habebitis in varios usus.

25 Si quis adipem, qui offerri debet in incensum Domini, comederit, peribit de populo suo.

26 Sanguinem quoque omnis animalis non sumetis in cibo, tam de avibus quam de pecoribus.

Tom. I.

O

27 Omnis

27 Omnis anima, quæ ederit sanguinem, peribit de populis suis.

28 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

29 Loquere filiis Israel, dicens: Qui offert victimam pacificorum Domino, offerat simul & sacrificium, id est, libamenta ejus.

30 Tenebit manibus adipem hostiæ, & pectusculum: cumque ambo oblata Domino consecraverit, tradet sacerdoti.

31 Qui adolebit adipem super altare, pectusculum autem erit Aaron, & filiorum ejus.

32 Armus quoque dexter de pacificorum hostiis cedet in primitias sacerdotis.

33 Qui obtulerit sanguinem & adipem, filiorum Aaron, ipse habebit & armum dextrum in portione sua.

34 Pectusculum enim elevationis, & armum separationis tuli a filiis Israel de hostiis eorum pacificis, & dedi Aaron sacerdoti, & filiis ejus lege perpetua, ab omni populo Israel.

35 Hæc est unctio Aaron & filiorum ejus in cæremoniis Domini die qua obtulit eos Moyses, ut sacerdotio fungerentur.

36 Et quæ præcepit eis dari Dominus a filiis Israel religione perpetua in generationibus suis.

37 Ista est lex holocausti, & sacrificii pro peccato atque delicto, & pro consecratione & pacificorum victimis:

38 Quam constituit Dominus Moysi in monte Sinai, quando mandavit filiis Israel ut offerrent oblationes suas Domino in deserto Sinai.

C A P U T VIII.

Aaronis in Pontificem, & filiorum ejus in Sacerdotes consecratio; ac tabernaculi suppellectilisque ejus unctio per Moysen.

1 **L**ocutusque est Dominus ad Moysen, dicens: 2 Tolle Aaron cum filiis suis, vestes eorum, & unctiois oleum, vitulum pro peccato, duos arietes, canistrum cum azymis.

3 Et congregabis omnem cœtum ad ostium tabernaculi.

4 Fecit Moyses ut Dominus imperaverat, congregataque omni turba ante fores tabernaculi,

5 Ait:

5 Ait: iste est sermo, quem jussit Dominus fieri.

6 Statimque obtulit Aaron & filios ejus. Cumque lavisset eos,

7 Vestivit pontificem subucula linea, accingens eum balteo, & induens eum tunica hyacinthina, & desuper humerale imposuit,

8 Quod astringens cingulo aptavit rationali, in quo erat Doctrina & Veritas.

9 Cidari quoque textit caput: & super eam, contra frontem, posuit laminam auream consecratam in sanctificatione, sicut præceperat ei Dominus.

10 Tulit & unctiois oleum, quo linivit tabernaculum, cum omni suppellectili sua.

11 Cumque sanctificans aspersisset altare septem vicibus, unxit illud, & omnia vasa ejus, labrumque cum basi sua sanctificavit oleo.

12 * Quod fundens super caput Aaron, unxit eum, & consecravit: * Eccl. 45. 11.

13 Filios quoque ejus oblatos vestivit tunicis lineis, & cinxit balteis, imposuitque mitras, ut jussit Dominus.

14 Obtulit & vitulum pro peccato. Cumque super caput ejus posuissent Aaron, & filii ejus manus suas,

15 Immolavit eum, hauriens sanguinem, & tincto digito, tetigit cornua altaris per gyrum. Quo expiato & sanctificato, fudit reliquum sanguinem ad fundamenta ejus.

16 Adipem vero qui erat super vitalia, & reticulum jecoris, duosque renunculos, cum arvinulis suis adolevit super altare:

17 Vitulum cum pelle & carnibus, & fimo, cremans extra castra, sicut præceperat Dominus.

18 Obtulit & arietem in holocaustum: super ejus caput cum imposuissent Aaron & filii ejus manus suas,

19 Immolavit eum, & fudit sanguinem ejus per circuitum altaris.

20 Ipsumque arietem in frustra concidens, caput ejus, & artus, & adipem adolevit igni,

21 Lotis prius intestinis & pedibus: totumque fi.

simul arietem incendit super altare, eo quod esset holocaustum suavissimi odoris Domino, sicut præceperat ei.

22 Obtulit & arietem secundum, in consecratione sacerdotum, posueruntque super caput ejus Aaron & filii ejus manus suas:

23 Quem cum immolasset Moyses, fumens de sanguine ejus, tetigit extremum auriculæ dextræ Aaron, & pollicem manus ejus dextræ, similiter & pedis.

24 Obtulit & filios Aaron. Cumque de sanguine arietis immolati tetigisset extremum auriculæ singulorum dextræ, & pollices manus ac pedis dextri, reliquum fudit super altare per circuitum:

25 Adipem vero, & caudam, omnemque pinguedinem quæ operit intestina, reticulumque jecoris, & duos renes cum adipibus suis, & armo dextro separavit.

26 Tollens autem de canistro azymorum, quod erat coram Domino, panem absque fermento, & collyridam conspersam oleo, laganumque posuit super adipem, & armum dextrum,

27 Tradens simul omnia Aaron & filiis ejus. Qui postquam levaverunt ea coram Domino,

28 Rursum suscepta de manibus eorum, adlevit super altare holocausti, eo quod consecrationis esset oblatio in odorem suavitatis, sacrificii Domino.

29 Tulitque pectusculum elevans illud coram Domino, de ariete consecrationis in partem suam, sicut præceperat ei Dominus.

30 Assumentque unguentum, & sanguinem qui erat in altari, asperit super Aaron & vestimenta ejus, & super filios illius ac vestes eorum.

31 Cumque sanctificasset eos in vestitu suo, præcepit eis, dicens: Coquite carnes ante fores tabernaculi, & ibi comedite eas. Panes quoque consecrationis edite, qui positi sunt in canistro, sicut præcepit mihi Dominus, dicens: * Aaron

& filii ejus comedent eos:

32 Quidquid autem reliquum fuerit de carne & panibus, ignis absumet.

33 De ostio quoque tabernaculi non exhibitis sep-

* Exod.
29. 32.
Intra 24.
9.

septem diebus, usque ad diem quo complebitur tempus consecrationis vestræ. Septem enim diebus finitur consecratio:

34 Sicut & impræsentiarum factum est, ut ritus sacrificii compleretur.

35 Die ac nocte manebitis in tabernaculo observantes custodias Domini, ne moriamini: sic enim mihi præceptum est.

36 Feceruntque Aaron & filii ejus cuncta quæ locutus est Dominus per manum Moysi.

CAPUT IX.

Inducitur Aaron consecratus, ac primitiis sacrificiorum pro seipso ac populo, Deo redditis, Aaron populo benedixit; gloria Domini apparuit, ignisque holocaustum devoravit.

1 **F**acto autem octavo die, vocavit Moyses Aaron & filios ejus, ac majores natu Israel, dixitque ad Aaron:

2 * Tolle de armento vitulum pro peccato, * Exod. & arietem in holocaustum, utrumque immaculatum, & offer illos coram Domino.

3 Et ad filios Israel loqueris: Tollite hircum pro peccato, & vitulum atque agnum anniculos, & sine macula in holocaustum,

4 Bovem & arietem pro pacificis, & immolate eos coram Domino, in sacrificio singulorum similam conspersam oleo offerentes. Hodie enim Dominus apparebit vobis.

5 Tulerunt ergo cuncta quæ jusserat Moyses ad ostium tabernaculi: ubi cum omnis multitudo astaret,

6 Ait Moyses: Iste est sermo, quem præcepit Dominus: facite, & apparebit vobis gloria ejus.

7 Et dixit ad Aaron: Accede ad altare, & immola pro peccato tuo: offer holocaustum, & deprecare pro te & pro populo. Cumque mactaveris hostiam populi, ora pro eo, sicut præcepit Dominus.

8 Statimque Aaron accedens ad altare, immolavit vitulum pro peccato suo:

9 Cujus sanguinem obtulerunt ei filii sui: in quo tingens digitum, tetigit cornua altaris, & fudit residuum ad basim ejus.

10 Adipemque & renunculos, ac reticulum jecoris, quæ sunt pro peccato, adolevit super altare, sicut præceperat Dominus Moyfi:

11 Carnes vero & pellem ejus extra castra combuffit igni.

12 Immolavit & holocausti victimam: obtuleruntque ei filii sui sanguinem ejus, quem fudit per altaris circuitum.

13 Ipsam etiam hostiam in frustra concisam, cum capite & membris singulis, obtulerunt: quæ omnia super altare cremavit igni.

14 Lotis aqua prius intestinis & pedibus.

15 Et pro peccato populi offerens, mastavit hircum: expiatoque altari,

16 Fecit holocaustum,

17 Addens in sacrificio libamenta, quæ pariter offeruntur, & adolens eâ super altare, absque caeremoniis holocausti matutini.

18 Immolavit & bovem atque arietem, hostias pacificas populi: obtuleruntque ei filii sui sanguinem, quem fudit super altare in circuitum.

19 Adipem autem bovis, & caudam arietis, renunculosque cum adipibus suis, & reticulum jecoris

20 Posuerunt super pectora: cumque cremati essent adipem super altare,

21 Pectora eorum, & armos dextros, separavit Aaron, elevans coram Domino, sicut præceperat Moyfes.

22 Et extendens manus ad populum, benedixit ei. Sicque completis hostiis pro peccato, & holocaustis, & pacificis, descendit.

23 Ingressi autem Moyfes & Aaron in tabernaculum testimonii, & deinceps egressi benedixerunt populo. * Apparuitque gloria Domini omni multitudini:

24 Et ecce egressus ignis a Domino, devoravit holocaustum, & adipem qui erant super altare. Quod cum vidissent turbæ, laudaverunt Dominum, ruentes in facies suas.

CAPUT X.

Nadab & Abiu thurificantes igne profano, igne caele-

caelesti consumpti planguntur a populo, non a sacerdotibus; vini usu & sicera sacerdotibus interdicto, præcipitur ut residuum oblationis comedant.

1 **A** Rreptisque Nadab, & Abiu filii Aaron thuribulis, * posuerunt ignem, & incensum desuper, offerentes coram Domino ignem alienum: quod eis præceptum non erat.

2 Egressusque ignis a Domino, devoravit eos, & mortui sunt coram Domino.

3 Dixitque Moyfes ad Aaron: Hoc est quod locutus est Dominus: Sanctificabor in iis, qui appropinquant mihi, & in conspectu omnis populi glorificabor. Quod audiens tacuit Aaron.

4 Vocatis autem Moyfes Misaele, & Elisaphan filiis Oziel, patrui Aaron, ait ad eos: Ite & tollite fratres vestros de conspectu Sanctuarii, & asportate extra castra.

5 Confestimque pergentes tulerunt eos sicut jacebant. vestitos lineis tunicis, & ejecerunt foras, ut sibi fuerat imperatum.

6 Locutusque est Moyfes ad Aaron, & ad Eleazar, & Ithamar filios ejus: Capita vestra nolite nudare, & vestimenta nolite scindere, ne forte moriamini, & super omnem cætum oriatur indignatio. Fratres vestri, & omnis domus Israel, plangent incendium quod Dominus suscitavit:

7 Vos autem non egrediemini fores tabernaculi, alioquin peribitis: oleum quippe sanctæ unctionis est super vos, Qui fecerunt omnia juxta præceptum Moyfi.

8 Dixit quoque Dominus ad Aaron:

9 Vinum, & omne quod inebriare potest, non bibetis tu & filii tui, quando intrabitis in tabernaculum testimonii, ne moriamini: quia præceptum sempiternum est in generationes vestras.

10 Et ut habeatis scientiam discernendi inter sanctum & profanum, inter pollutum & mundum:

11 Doceatisque filios Israel omnia legitima mea quæ locutus est Dominus ad eos per manum Moyfi.

12 Locutusque est Moyfes ad Aaron, & ad Eleazar, & Ithamar filios ejus, qui erant residui: Tollite sacrificium, quod remansit de oblatione

tione Domini, & comedite illud absque fermento juxta altare, quia Sanctum sanctorum est.

13 Comeditis autem in loco sancto: quod datum est tibi & filiis tuis de oblationibus Domini, sicut præceptum est mihi.

14 Pectusculum quoque quod oblatum est, & armum qui separatus est, edetis in loco mundissimo tu & filii tui, & filia tuæ tecum: tibi enim ac liberis tuis reposita sunt de hostiis salutaribus filiorum Israel:

15 Eo quod armum & pectus, & adipem qui cremantur in altari, elevaverunt coram Domino, & pertineant ad te, & ad filios tuos lege perpetua, sicut præcepit Dominus.

* 2. Machab. 2. 11.

16 * Inter hæc, hircum, qui oblatum fuerat pro peccato, cum quæreret Moyses, exustum reperit: iratusque contra Eleazar & Ithamar filios Aaron, qui remanserant, ait:

17 Cur non comedistis hostiam pro peccato in loco sancto, quæ Sancta sanctorum est, & data vobis ut portetis iniquitatem multitudinis, & rogetis pro ea in conspectu Domini,

18 Præsertim cum de sanguine illius non sit illatum intra sancta, & comedere debueritis eam in sanctuario, sicut præceptum est mihi?

19 Respondit Aaron: Oblata est hodie victima pro peccato, & holocaustum coram Domino: mihi autem accidit quod vides. Quomodo potui comedere eam, aut placere Domino in cæramoniis mente lugubri.

20 Quod cum audisset Moyses, recepit satisfactionem.

CAPUT XI.

Animalium mundorum ab immundis separatio, eorumque usus, ut sancti sint filii Israel, sicut & Dominus.

1 **L**ocutusque est Dominus ad Moysen & Aaron, dicens:

* Deut. 14. 4.

2 Dicite filiis Israel: * Hæc sunt animalia quæ comedere debetis de cunctis animantibus terræ.

3 Omne quod habet divisa unguam, & ruminat in pecoribus, comedetis.

4 Quid-

4 Quidquid autem ruminat quidem, & habet unguam, sed non dividit eam, sicut camelus & cætera, non comedetis illud, & inter immunda reputabitis.

5 Chærogryllus qui ruminat, unguamque non dividit, immundus est.

6 Lepus quoque: nam & ipse ruminat, sed unguam non dividit.

7 * Et sus: qui cum unguam dividat, non ruminat.

* 2. Machab. 6. 18.

8 Horum carnibus non vescemini, nec cadavera contingetis, quia immunda sunt vobis.

9 Hæc sunt quæ signantur in aquis, & vesci licitum est. Omne quod habet pinnulas & squamas, tam in mari quam in fluminibus & stagnis, comedetis.

10 Quidquid autem pinnulas & squamas non habet eorum quæ in aquis moventur & vivunt, abominabile vobis,

11 Execrandumque erit, carnes eorum non comedetis, & morticina vitabitis.

12 Cuncta quæ non habent pinnulas & squamas in aquis, polluta erunt.

13 Hæc sunt quæ de avibus comedere non debetis, & vitanda sunt vobis: Aquilam, & gryphem, & halixætum.

14 Et milvum ac vulturem juxta genus suum,

15 Et omne corvini generis in similitudinem suam,

16 Struthionem, & noctuam, & larum, & accipitrem juxta genus suum:

17 Bubonem & mergulum, & ibin,

18 Et cygnum, & onocrotalum, & porphyriionem,

19 Herodionem & charadriionem juxta genus suum, upupam quoque, & vespertilionem.

20 Omne de volucris quod graditur super quatuor pedes, abominabile erit vobis.

21 Quidquid autem ambulat quidem super quatuor pedes, sed habet longiora retro crura, per quæ salit super terram,

22 Comedere debetis, ut est bruchus in genere suo, & attacus atque ophiomachus, ac locusta, singula juxta genus suum.

O 5 23

23 Quidquid autem ex volucris quatuor tantum habet pedes, execrabile erit vobis:

24 Et quicumque morticina eorum tetigerit, polluetur, & erit immundus usque ad vesperum:

25 Et si necesse fuerit ut portet quippiam horum mortuum, lavabit vestimenta sua, & immundus erit usque ad occasum solis.

26 Omne animal quod habet quidem unguam, sed non dividit eam, nec ruminat, immundum erit: & qui tetigerit illud, contaminabitur.

27 Quod ambulat super manus, ex cunctis animantibus, quæ incedunt quadrupedia, immundum erit: & qui tetigerit morticina eorum, polluetur usque ad vesperum.

28 Et qui portaverit hujuscemodi cadavera, lavabit vestimenta sua, & immundus erit usque ad vesperum: quia omnia hæc immunda sunt vobis.

29 Hæc quoque inter polluta reputabuntur de his, quæ moventur in terra, mustela & mus & crocodilus, singula juxta genus suum,

30 Mygale, & chamæleon, & stellio, & lacerata, & talpa:

31 Omnia hæc immunda sunt. Qui tetigerit morticina eorum, immundus erit usque ad vesperum:

32 Et super quod ceciderit quidquam de morticinis eorum, polluetur tam vas ligneum & vestimentum, quam pelles & cilicia: & in quocumque sit opus, tingentur aqua, & polluta erunt usque ad vesperum, & sic postea mundabuntur.

33 Vas autem fictile, in quod horum quidquam intro ceciderit, polluetur, & idcirco frangendum est.

34 Omnis cibus, quem comedetis, si fusa fuerit super eum aqua, immundus erit: & omne liquens quod bibitur de universo vase, immundum erit.

35 Et quidquid de morticinis hujuscemodi ceciderit super illud, immundum erit: sive elibani, sive chytropodes, destruentur, & immundi erunt.

36 Fontes vero & cisternæ, & omnis aquarum congregatio munda erit. Qui morticinum eorum tetigerit, polluetur.

37 Si

37 Si ceciderit super sementem, non polluetur eam.

38 Si autem quispiam aqua sementem perfuderit, & postea morticinis tacta fuerit, illico polluetur.

39 Si mortuum fuerit animal, quod licet vobis comedere, qui cadaver ejus tetigerit, immundus erit usque ad vesperum:

40 Et qui comederit ex eo quippiam, sive portaverit: lavabit vestimenta sua, & immundus erit usque ad vesperum.

41 Omne quod reptat super terram, abominabile erit, nec assumetur in cibum.

42 Quidquid super pectus quadrupes graditur, & multos habet pedes, sive per humum trahitur, non comedetis, quia abominabile est.

43 Nolite contaminare animas vestras, nec tangatis quidquam eorum, ne immundi sitis.

44 Ego enim sum Dominus Deus vester: * sanctus enim sum. Et estote, quia ego sanctus sum. Ne polluatis animas vestras in omni reptili quod movetur super terram. * 1. Pet. 1. 16.

45 Ego enim sum Dominus, qui eduxi vos de Terra Egypti, ut essem vobis in Deum. Sancti eritis, quia ego sanctus sum.

46 Ista est lex animantium ac volucrum, & omnis animæ viventis, quæ movetur in aqua, & reptat in terra.

47 Ut differentias noveritis mundi, & immundi, & sciatis quid comedere & quid respicere debetis.

CAPUT XII.

Puerperæ immunditia, & mundatio cum oblatione.

1 Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2 Loquere filiis Israel, & dices ad eos: * Mulier, si suscepto semine pepererit mascululum, immunda erit septem diebus juxta dies separationis menstruæ.

3 * Et die octavo circumcidetur infantulus:

4 Ipsa vero triginta tribus diebus manebit in sanguine purificationis suæ. Omne sanctum non tanget,

Lucæ 2. 22.

Lucæ 2. 31.

Joan. 7. 22.

get, nec ingreditur in Sanctuarium, donec impleantur dies purificationis suæ.

5 Sin autem fœminam pepererit, immunda erit duabus hebdomadibus juxta ritum fluxus menstrui, & sexaginta sex diebus manebit in sanguine purificationis suæ.

6 Cumque expleti fuerint dies purificationis suæ, pro filio, sive pro filia, deferet agnum anniculum in holocaustum, & pullum columbæ sive turturem pro peccato, ad ostium tabernaculi testimonij, & tradet sacerdoti,

7 Qui offeret illa coram Domino, & orabit pro ea, & sic mundabitur a profluvio sanguinis sui. Ista est lex parientis masculinum aut fœminam.

8 Quod si non invenerit manus ejus, nec fuerit offerre agnum, fumet * duos turtures vel duos pullos columbarum, unum in holocaustum, & alterum pro peccato. Orabitque pro ea sacerdos, & sic mundabitur.

CAPUT XIII.

Lex, & cognitio lepræ Sacerdotibus commissa in homine, & vestimento; quæ præcipiantur leproso.

1 **L**ocutusque est Dominus ad Moysen, & Aaron, dicens:

2 Homo, in cujus cute & carne sortus fuerit diversus color sive pustula, aut quasi lucens quippiam, id est, plaga lepræ, adducetur ad Aaron sacerdotem, vel ad unum quemlibet filiorum ejus.

3 Qui cum viderit lepram in cute, & pilos in album mutatos colorem, ipsamque speciem lepræ humiliorem cute, & carne reliqua: plaga lepræ est, & ad arbitrium ejus separabitur.

4 Sin autem lucens candor fuerit in cute, nec humilior carne reliqua, & pili coloris pristini recludet eum sacerdos septem diebus,

5 Et considerabit die septimo: & siquidem lepra ultra non creverit, nec transierit in cute priores terminos, rursus recludet eum septem diebus aliis.

6 Et die septimo contemplabitur: si obscurior fuerit lepra, & non creverit in cute, mundabit eum,

eum, quia scabies est: lavabitque homo vestimenta sua, & mundus erit.

7 Quod si postquam a sacerdote visus est, & redditus munditiæ, iterum lepra creverit, adducetur ad eum,

8 Et immunditiæ condemnabitur.

9 Plaga lepræ si fuerit in homine, adducetur ad sacerdotem,

10 Et videbit eum. Cumque color albus in cute fuerit, & capillorum mutaverit aspectum, ipsa quoque caro viva apparuerit:

11 Lepra vetustissima judicabitur atque inoluta cuti. Contaminabit itaque eum sacerdos, & non recludet, quia perspicuæ immunditiæ est.

12 Sin autem effloruerit discurrens lepra in cute, & operuerit omnem cutem a capite usque ad pedes, quidquid sub aspectum oculorum cadit,

13 Considerabit eum sacerdos, & teneri lepra mundissima judicabit: eo quod omnis in candorem versa sit, & idcirco homo mundus erit.

14 Quando vero caro vivens in eo apparuerit,

15 Tunc sacerdotis judicio polluetur, & inter immundos reputabitur. Caro enim viva si lepra aspergitur, immunda est.

16 Quod si rursus versa fuerit in alborem, & totum hominem operuerit,

17 Considerabit eum sacerdos, & mundum esse decernet.

18 Caro autem & cutis in qua ulcus natum est & sanatum,

19 Et in loco ulceris cicatrix alba apparuerit, sive subrufa, adducetur homo ad sacerdotem:

20 Qui cum viderit locum lepræ humiliorem carne reliqua, & pilos verfos in candorem, contaminabit eum: plaga enim lepræ orta est in ulcere.

21. Quod si pilus coloris est pristini & cicatrix subobscura, & vicina carne non est humilior, recludet eum septem diebus.

22 Et si quidem creverit, adjudicabit eum lepræ.

23 Sin autem steterit in loco suo, ulceris est cicatrix, & homo mundus erit.

24 Caro autem & cutis quam ignis exusserit, & sanata albam sive rufam habuerit cicatricem,

25 Considerabit eam sacerdos, & ecce versa est in alborem, & locus ejus reliqua cute est humilior: contaminabit eum, quia plaga lepræ in cicatrice orta est.

26 Quod si pilorum color non fuerit immutatus, nec humilior plaga carne reliqua, & ipsa lepræ species fuerit subobscura, recludet eum septem diebus,

27 Et die septimo contemplabitur: si creverit in cute lepra, contaminabit eum.

28 Sin autem in loco suo candor steterit non satis clarus, plaga combustionis est, & idcirco mundabitur, quia cicatrix est combusturæ.

29 Vir, sive mulier, in cujus capite vel barba germinaverit lepra, videbit eos sacerdos.

30 Et siquidem humilior fuerit locus carne reliqua, & capillus flavus, solitoque subtilior; contaminabit eos, quia lepra capitis ac barbæ est.

31 Sin autem viderit locum maculæ æqualem vicinæ carni, & capillum nigrum: recludet eum septem diebus.

32 Et die septimo intuebitur. Si non creverit macula, & capillus sui coloris est, & locus plagæ carni reliquæ æqualis:

33 Radetur homo absque loco maculæ, & includetur septem diebus aliis.

34 Si die septimo visa fuerit stetisse plaga in loco suo, nec humilior carne reliqua, mundabit eum, lotisque vestibus suis mundus erit.

35 Sin autem post emundationem rursus creverit macula in cute,

36 Non queret amplius utrum capillus in flavum colorem sit immutatus, quia aperte immunus est.

37 Porro si steterit macula, & capilli nigri fuerint, noverit hominem sanatum esse, & confidenter eum pronuntiet mundum.

38 Vir, sive mulier, in cujus cute candor apparuerit,

39 Intuebitur eos sacerdos. Si deprehenderit subobscurum alborem lucere in cute, sciat non esse lepram, sed maculam coloris candidi, & hominem mundum.

40 Vir, de cujus capite capilli fluunt, calvus & mundus est:

41 Et si a fronte ceciderint pili, recalvaster & mundus est.

42 Sin autem in calvitio sive in recalvatione albus vel rufus color fuerit exortus,

43 Et hoc sacerdos viderit, condemnabit eum haud dubie lepræ, quæ orta est in calvitio.

44 Quicumque ergo maculatus fuerit lepra, & separatus est ad arbitrium sacerdotis,

45 Habebit vestimenta diffusa, caput nudum, os veste contactum, contaminatum ac sordidum se clamabit.

46 Omni tempore quo leprosus est & immunus, solus habitabit extra castra.

47 Vestis lanea sive linea, quæ lepram habuerit

48 In stamine atque subtegmine, aut certe pellis, vel quidquid ex pelle confectum est,

49 Si alba vel rufa macula fuerit infecta, lepra reputabitur, ostendeturque sacerdoti,

50 Qui consideratam recludet septem diebus:

51 Et die septimo rursus aspiciens si deprehenderit crevisse, lepra perseverans est: pollutum judicabit vestimentum, & omne in quo fuerit inventa:

52 Et idcirco comburetur flammis.

53 Quod si eam viderit non crevisse,

54 Præcipiet, & lavabunt id, in quo lepra est, recludetque illud septem diebus aliis.

5 Et cum viderit faciem quidem pristinam non reversam, nec tamen crevisse lepram, immundum judicabit, & igne comburet, eo quod insula sit in superficie vestimenti vel per totum lepra.

56 Sin autem obscurior fuerit locus lepræ, postquam vestis est lota, abrupet eum, & a solido dividet.

57 Quod si ultra apparuerit in his locis, quæ prius immaculata erant, lepra volatilis & vaga: debet igne comburi.

58 Si cessaverit, lavabit aqua ea quæ pura sunt, secundo, & munda erunt.

59 Ista est lex lepræ vestimenti lanei & linei,
sta-

flaminis, atque subtegmis, omnisque supellectilibus pellicæ, quomodo mundari debeat, vel contaminari.

CAPUT XIV.

Lepræ expiandæ sacrificia pro homine, domo, ac vestimento, lepra jam curata: ratio lepræ domorum investigandæ, curandæ, purificandæ.

I Locutusque est Dominus ad Moysen, dicens:

2 Hic est ritus leprosi, quando mundandus est: * Adducetur ad sacerdotem:

* Matth.
8. 4.

3 Qui egressus de castris, cum invenerit lepram esse mundatam,

* Marc.
1. 44.
Luc. 5.
14.

4 * Præcipiet ei, qui purificatur, ut offerat duos passeris vivos pro se, quibus vesci licitum est, & lignum cedrinum, vermiculumque & hyssopum.

5 Et unum ex passeribus immolari jubebit in vase fictili super aquas viventes:

6 Alium autem vivum cum ligno cedrino, & cocco & hyssopo tinget in sanguine passeris immolati,

7 Quo asperget illum, qui mundandus est, septies, ut jure purgetur, & dimittet passerem vivum, ut in agrum avolet.

8 Cumque laverit homo vestimenta sua, radet omnes pilos corporis, & lavabitur aqua: purificatusque ingreditur castra, ita dumtaxat ut maneat extra tabernaculum suum septem diebus.

9 Et die septimo radet capillos capitis, barbamque & supercilia, ac totius corporis pilos. Et lotis rursus vestibus & corpore,

10 Die octavo assumet duos agnos immaculatos, & ovem anniculam absque macula, & tres decimas similes in sacrificium, quæ confersa sit oleo, & sestertium olei sextarium.

11 Cumque sacerdos purificans hominem, statuerit eum, & hæc omnia coram Domino in ostio tabernaculi testimonii,

12 Tolle agnum, & offeret eum pro delicto, oleique sextarium. Et oblati ante Dominum omnibus,

13 Immolabit agnum, ubi solet immolari hostia

ria pro peccato, & holocaustum, id est, in loco sancto. Sicut enim pro peccato, ita & pro delicto ad sacerdotem pertinet hostia: Sancta sanctorum est.

14 Assumentque sacerdos de sanguine hostiæ, quæ immolata est pro delicto, ponet super extremum auriculæ dextræ ejus qui mundatur, & super pollices manus dextræ & pedis:

15 Et de olei sextario mittet in manum suam sinistram,

16 Tingetque digitum dextrum in eo, & asperget coram Domino septies.

17 Quod autem reliquum est olei in læva manu, fundet super extremum auriculæ dextræ ejus qui mundatur, & super pollices manus ac pedis dextri, & super sanguinem qui effusus est pro delicto,

18 Et super caput ejus.

19 Rogabitque pro eo coram Domino, & faciet sacrificium pro peccato. Tunc immolabit holocaustum,

20 Et ponet illud in altari cum libamentis suis, & homo rite mundabitur.

21 Quod si pauper est, & non potest manus ejus invenire quæ dicta sunt, pro delicto assumet agnum ad oblationem, ut roget pro eo sacerdos, decimamque partem similes confersa oleo in sacrificium, & olei sextarium,

22 * Duosque turtures sive duos pullos columbæ, quorum unus sit pro peccato, & alter in holocaustum:

23 Offeretque ea die octavo purificationis suæ sacerdoti, ad ostium tabernaculi testimonii coram Domino.

24 Qui suscipiens agnum pro delicto & sextarium olei, levabit simul:

25 Immolatoque agno, de sanguine ejus ponet super extremum auriculæ dextræ illius qui mundatur, & super pollices manus ejus ac pedis dextri:

26 Olei vero partem mittet in manum suam sinistram,

27 In quo tingens digitum dextræ manus asperget septies coram Domino:

Tom. I.

P

28 Tan-

SAP.
7. II.
12. 8.
Luc. 2.
24.